



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

325. Ut Clerici non intersint nuptiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex dictis Basilij Episcopi.*Regula S. Ba-
filij c. 27.
Burchard. lib.
19. c. 39.
Luc. 15.CCCXXI. Pœnitentem ex corde ita oportet suscipere sicut Dominus ostendit, cum dicit: *Quia convocavit amicos suos & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quam perdideram.**Vnde supra.*Regula S. Ba-
filij c. 18.
Psal. 118.CCCXXII. Affectum illum in se recipiat pœnitens quem gerebat ille qui dicebat: *Iniquitatem odio habui & abominatus sum.**Qualis sit vera pœnitentia. Ex dictis sancti Augustini.*

CCCXXIII. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei. Quando sic pœnites ut tibi amarum sapiat in animo quod antea dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde, tunc verè pœnites.

*Quales esse debemus erga impœnitentes. Vnde supra.*Regula S. Ba-
filij c. 28.
Burchard. lib.
19. c. 64.
Marth. 18.

2. Thessal. 3.

CCCXXIV. Erga eum qui pro peccato non pœnitet tales esse debemus sicut Dominus præcepit dicens: *Sit tibi sicut gentilis & publicanus.* & sicut Apostolus jubet: *Subtrahite, inquit, vos ab omni fratre inordinatè ambulante & non secundum traditionem quam tradidit vobis.**Ut Clerici non interfint nuptiis.*Concil. Vene-
tic. c. 11.

CCCXXV. Presbyteri, Diaconi, Sub-

diaconi, vel deinceps quibus ducendi uxores non est licentia, etiam alienarum nuptiarum evitent convivium, neque his cœtibus admisceantur ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choris & saltationibus efferuntur; ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Conc. Agath.
c. 39.
Burchard. lib.
2. c. 134.

De eadem re. *Ex Concilio Mogontiacensi*
cap. xxxix.

CCCXXVI. Quibus licentia uxores ducendi non est, alienarum nuptiarum evitent convivium.

Burchard. lib.
2. c. 132.

De eadem re. *Ex decretis sancti Martini*
Pape.

CCCXXVII. Non licet sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel conviviis spectare; sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere & redire inde.

Martinus Bra-
car. c. 59.
Burchard. lib.
2. c. 135.
Vide supra
c. 213.

De temporibus quibus se continere debent conjugati ab uxoribus. *Ex Concilio Helibernensi.*

CCCXXVIII. Synodus Helibernensium dicit: In tribus quadragesimis anni, & in die dominico, & in quarta feria & sexta feria conjugales continere se debent. Item nec in illis diebus copulari quando gravata fuerit uxor, id est, à quo die filius in utero motum fecerit usque ad partum. Item à partu post triginta tres dies, si filius; si autem filia, post quinquaginta sex.

Burchard. lib.
19. c. 155.